

osculatione enecat, illa enim petit principium; nam quæritur: cur Tiphcha ante Sillukum & Atnachum distinguat. Hic hæret aqua. Sed audi responsonem ex usu decoræ pronuntiationis. Sillukus & Atnachus submittit tonum, ergo necesse est, ut præcedat Tiphcha inferior accentus, qui etiam aliquo modo submittat vocem, viamque ad pronuntiationem Atnachi & Silluki præparat; inferiores enim accentus olim submisissæ tonum, jāmdudum aliis probatum est, alias nulla ratio reddi potest, cur quidam accentus supra, quidam infra ponantur. 2) Cur Silluk in eadem voce habet Tiphcham. Respondet Frankius ob affectum, vel ob repetendam vocem, vel ob duplicem vocis sensum. Ineptiæ! Sillukus non ponuntiatur, nisi præcedat tonus Tiphchæ, sed quia quandoque vox Tiphcha notanda deficit, necessario tonus Tiphchæ in vocem Silluki incidit, maxime si ea duplicem tonum per syllabarum quantitatem admittat. Conf. Levit. XXI, 4. *non contraminetur princeps in populo suo: לְהַחֲלֵר ne profanet se*, ubi vox illa tam tono Tiphchæ quam Silluki legenda est, absque ultra emphasi, vel dupli sensu. Frankius putat vocem: *לְנֹחֶן* ob duplicem accentum significare dupl. icem reatum, alium contra legem ceremonialem, alium contra legem moralem. Sed unde hoc probat? somnia sunt, omnia hæc ex ignorantia loquitur Frankius, & varios sensus somniat. 3) quæritur: cur tot diversi adsint conjunctivi, si conjunctivorum officium est conjungere voces, unicus conjunctivus sufficeret. Respondet Hercules: Merca conjungit sub Silluko, Munach sub Atnacho & Sakepho &c. sed Hercules hic est histrio, qui se extra numerum movens flagris coercendus est; quæritur enim, cur Merca ante Sillukum, & Munach ante Atnachum serviat? Sed audi responsonem ex usu decoræ pronuntiationis: Merca alium tonum habet quam Munach, nec Munachi tonus viam sternit ad Sillukum, nec Merca ad Atnachum. Et sic facile omnium quæstionum ratio ex usu musico redditur. Ex hoc fundamento etiam facile respondetur Capellianis clamitantibus; quis istorum accentuum usus? quæ utilitas? conf. Arcan. punct. L. I. c. XVI. p. 741. Sed accurrit Hercules & excipit: *Modus pronunciationis Iudeis æque ac Christianis est ignotus.* *Quid si ille pronunciationis usus est ignotus, denullo*